

SACRA ROMANA ROTA

Coram R.P.D. AEMILIO COLAGIOVANNI — Ponente

BERYTEN. MARONITARUM

*Jurium — Pensionis Alimentaris et Separationis
Incidentis: An vir factus apostata jus habeat prosequendi causam
Decretum*

(25.II.1986)

(Omissis)

FACTI SPECIES

1) — M, die 25 octobris a. 1968, causam introduxit coram Tribunali Beryten. Maronitarum ad separationem a viro V. obtinendam atque ad pensionem alimentariam assequendam, asserens virum culpabilem fuisse naufragii matrimonii.

Reconciliatione autem facta inter partes, causa derelicta fuit, at dein mense junio 1971 eandem resumpsit mulier, dum vir, prius introducta actione reconventionali, dein matrimonium nullitatis accusavit ob vim et metum sibi incussum.

2) — Innumerabiles deinde motae sunt quaestiones, quarum tamen nostra interest solummodo breviter revocare decreta:

1.º) diei 17 decembris 1971 quo Tribunal Beryten. Maronitarum statuebat a viro solvendam esse mulieri menstruam pensionem alimentarem Ll. 800;

2.º) diei 5 julii 1972 Tribunalis secundi gradus post appellationem mulieris, quo pensio aucta est in eiusdem favorem;

3.º) decretum rotale diei 26 julii 1973 coram Lefebvre, post appellationem viri ad Nostrum S. Tribunal, quo suspensio pensionis iussa est et in vim revocatum decretum primum diei 17 decembris 1971 quod statuerat pensionem alimentarem in Ll. 800;

4.º) post appellationem mulieris, decretum rotale coram Raad diei 26 julii 1973 infirmavit decretum rotale coram Lefebvre et confirmavit decretum Tribunalis secundi gradus seu executionem dandam esse decreto diei 5 julii 1972 quod statuerat pensionem alimentarem solvendam esse in summam Ll. 2.000, initio semper sumpto a die 1 julii 1971;

5.º) post recursum viri ad restitutionem in integrum obtinendum, Turnus rotalis coram Bruno die 25 aprilis 1975 concessit petitam restitutionem, dum, instante Patrono mulieris, Turnus coram Pompedda diei 3 februarii 1976 edixit decretum Tribunalis primae instantiae diei 17 decembris 1971 vim suam adhuc retinere.

At Patronus actricis, adductis argumentis de magnis viri divitiis, recursum interposuit ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae ut, ob evi-

denter neglecta juris praescripta, obtineret restitutionem in integrum. Hanc vero concessit idem Supremum Tribunal per decretum diei 16 februarii 1979.

Ideo iter causae progressum est:

6.) die 1 aprilis 1980 Turnus c. Pinto confirmandum esse edixit decretum rotale coram Raad diei 20 aprilis 1973, infirmandum vero decretum rotale coram Lefebvre.

7.) Aliis quaestionibus incidentalibus a viro propositis, negative responsum est a duobus decretis rotalibus coram Serrano et coram Di Felice.

8.) Interea causa nullitatis matrimonii, a viro mota, duplicem rettulit negativam decisionem, seu Tribunalis primae instantiae diei 20 januarii a, 1980 et Tribunalis apellationis diei 10 junii a. 1981.

3—Vir recursum interposuit ad Nostrum Apostolicum Tribunal proponens querelam nullitatis, restitutionem in integrum et novam causae propositionem.

Die 7 junii a. 1983 Turnus rotalis coram Ragni edixit virum, qui apostata dein factus erat, censura excommunicationis irretitum et ob bigamiae delictum infamem, «minime in causa actoris partes agere posse».

Appellatio proposita est ad Turnum coram Ferraro, cui, emerito, successit Auditor Colagiovanni.

Ideo hodie causa incidentalis definienda est, et dubio respondendum:

«Utrum vir apostata a fide, utpote mahomedanus formaliter factus die 20 novembris 1982, neque ab apostasia recessus, jus habeat actionis in iudicio ecclesiastico».

IN JURE

4)—Quidquid est de immutatione Codicis latini quoad capacitatem activam iudicalem acatholicorum et excommunicatorum ex apostasia (cfr. can. 1476 coll. can. 1364, par. 1), jus orientalium Ecclesiarum certo certius

apostatas et ideo excommunicatos repellit a nostris Tribunalibus iisdem omnem actionem denegando.

5)—Liceat tantummodo revocare quae fusius leguntur in decreto coram Ragni appellato: Responsonem S. Officii diei 18 januarii 1928 (A.A.S., d. 27 jan. 1928 et cfr. A.A.S., d. 15 jan. 1940); can. 143 et can. 169 Codicis juris canonici orientalis et can. 143, 3. Videtur tamen quod lex canonica pro ecclesiis orientalibus invenitur quam maxime in M.P. «Crebrae allatae» diei 22 februarii 1949 (A.A.S., 1949, 89-119), praesertim vero in M.P. «Sollicitudinem Nostram» diei 6 januarii 1950 (A.A.S., 1950, 5-120). Alia documenta S. Sedis illas Ecclesias respicientia minus attingunt nostram quaestionem (v. gr. M.P. «Postquam Apostolicis» et M.P. «Cleri Sanctitati»). Memorandum peculiariter est M.P. «Sollicitudinem Nostram»: ex cann. 169 et 143, 3 excommunicati arcentur ab actione in tribunalibus ecclesiasticis, nisi ad impugnandam propriam excommunicationem (cfr. F. Galtier, S.J., *Code Oriental de Procédure ecclésiastique*, Traduction annotée, Beyrouth, 1951). Valet adhuc pro orientalibus ecclesiis responsum Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis diei 8 januarii 1973 (A.A.S., 1973, p. 59), quibus acatholicis denegatur jus agendi in causis matrimonialibus, salvo novo jure pro ecclesia latina (cfr. can. 1476 novi Codicis).

Stat ideo lex sive Synodi Libanensis sive M.P. «Sollicitudinem Nostram» cum variis responsonibus SS. Officii et SS. Congregationum de inhabilitate apostatarum et excommunicatorum ab ecclesia orientali agendi in tribunalibus ecclesiasticis.

IN FACTO

6)—Cum V. apostata a fide certo fuerit, cum ideo excommunicationis poena ipso facto fuerit irretitus, cum autem a sua defectione a fide non recesserit neque ideo absolutus ab excommunicationis poena, actor in causa ne-

quit admitti ad agendum atque ideo, transmissa et superata quaestione de causae peremptione ob fatalia elapsa, nedum sex mensium, sed plurium annorum, radicitus et definitive vir depellitur a qualibet actione proponenda, et IDEO DECRETUM ROTALE CORAM R.P.D. HYGINO RAGNI DIEI 7 JUNII 1983 CONFIRMATUR.

Hoc decretum vim definitivam habens notificetur omnibus, quorum intersit, ad omnes juris effectus.

Romae, in Sede Tribunalis Romanae Rotae, die 25 februarii a. 1986.

Aemilius Colagiovanni, Ponens
Elias Jarawan
Joannes Corso
Aegidius Turnaturi, Not.